



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

15 Vnde colligendum est legem civilem, & canonicam obligare in
conscientia ad actum cui est poena imposita, vel solum obligare ad
sustinendam poenam, si imponatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

in aliquo casu speciali cesset, quia non cessat generaliter & absolute, ea de causa non cessat lex & preceptum: hac enim de causa contractus minoris, & pupilli sine autoritate tutoris & aliis conditionibus requisitis donatio uxoris facta marito, obligatio dotis, renuntiatio illius, aut legitimæ confectio testamenti, electio & alia plura sine solemnitate irritant quia talem contractum sine solemnitate iudicatur habere periculum fraudis, & ob tale periculum annullatur; & licet in aliquo casu periculum non habeat, quia tamen natura rei illud habet, ea de causa à iure irritatur. Quocirca matrimonium clandestinum alienatio bonorum Ecclesie sine solemnitate à iure requisita, inualida sunt; quia in modo illo contrahendi præsumitur, seu potius iudicatur periculum adesse fraudis: esto in hoc vel illo casu nullum sit; semper enim verum est dicere talem contractum sine factum periculosum esse, ita late explicat Suarez, Salas; Bonacina, Bassius de Leon, & alii supra.

Ex hac conclusione colligit Bassius de Leon n. 11. religiosorum precepta prohibentia in virtute obedientie ingressum in cellas ob aliqua incommoda vitanda, obligat etiam in casu in quo aliquis certo sciat non adesse ibi periculum, ratione cuius preceptum impositum fuit quia esto non adire periculum in illo casu adesse tamen generaliter, & in plurimum, & hoc sufficit, quia fuit hæc causa imponendi preceptum. Idem tenet Manuel Rodriguez supra, ex alia tamen ratione.

Rarus lex iniusta esse potest quia inæqualiter subditos afficit, quod potest contingere in impositione tributorum, & veltigalium. si enim sine iusta, & rationabili causa alii præ aliis graventur, poterunt illa in parte ab observatione legis excusari, quia lex debet esse æqualis, & legislator non debet committere in illa ferenda vitium acceptationis personarum. Dixi, sine rationabili causa nam sæpe alii præ aliis gravantur in tributis, rationabili & legitima causa intercedente: plebei enim, & rurales potius quam nobiles, mercatores potius, quam equites, divites potius quam pauperes. Quare non facile iudicandum est legitimam, & rationabilem causam non adesse, & in casu dubio temper ita præsumi debet. Aduerito item tributum posse ex parte iustum esse, & ex parte iniustum: & tunc lex solvendi illud non erit absolute iniusta sed solum ex parte quia vitale per inutile non vitatur. & tradit Suarez lib. 1. de legibus, cap. 9. num. 2. Bonacina disput. 1. de legibus, quæst. 1. punct. 7. §. 3. num. 2. & latius dicendum est de distinctione de veltigal.

PUNCTUM XV.

Vnde colligendum est legem civilem, & canonicam obligare in conscientia ad actum, cui est pena imposita, vel solum obligare ad sustinendam penam, si imponatur.

- 1 Explicatur distinctio penæ spiritualis & temporalis.
- 2 Excommunicatio minor solum est signum obligationis ad veniale excommunicatio maior semper est mortale.
- 3 Excommunicatio ferenda non videtur sufficiens signum mortalis obligationis.
- 4 Idem quod dictum est de excommunicatione, dicendum est de suspensione, interdicto, & irregularitate penali.
- 5 Idem iuris est de pena depositionis, degradationis & priuationis beneficii.
- 6 De lege temporalem penam imponente non obligare ad culpam, qui defendam, & quomodo probent.
- 7 Proponitur sententia affirmans ad culpam obligare.
- 8 Distinctione apposta resoluitur questio de lege lata sub verbis præcepti.
- 9 Si superior declarat se nolle ad culpam obligare, non obligat lex tamen si præcepti verbis apponatur.
- 10 Si verba legis in differentia sunt, probabilius est ad culpam non obligare. Excipit nisi de consuetudine, & visu aliter fuerit declaratum.
- 11 Ex gravitate penæ temporalis plures Doctores censent sum sufficiens indicium obligationis ad mortale.
- 12 Contrarium probabilius videtur.
- 13 Proponitur aduersus hanc doctrinam quedam obiectio, & soluitur.
- 14 Satisfitur argum. num. 6. & 7. adductis.

Non leuis est difficultas cognoscendi quando lex civilis, & canonica obliget subditos ad actum immedie intencum, vel quando solum obliget ad sustinendam penam casu, quo legem illam transgrediantur. Nam esto legislator obligare possit subditos ad actum, cui penam imponit, tamen sæpe contentus est impositione penæ abique alia obligatione. Querimus ergo vnde hoc sit cognoscendum

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I.

2 Pro quo supponendum est alias esse penas spirituales alias temporales: spirituales voco excommunicationem suspensionem, interdictum, irregularitatem dispositionem, & similes. Temporales, priuationem, pecuniæ, exilium, infamiam, mortem, &c.

Si de penis spiritualibus loquamur, cum distinctione est procedendum, quia non omnes penæ vniuersales sunt: si pena sit excommunicatio minor non est sufficiens signum condemnandi transgressorem legis ad culpam grauem; bene tamen ad venialem, quia excommunicatio minor solet ob culpam venialem contrahi, etiam aliquando ob mortalem contrahatur; vt in tractat. de excommunicatione latius est dicendum. Suarez lib. 4. de legib. cap. 18. num. 4. & lib. 5. c. 3. num. 2. Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 4. num. 42. Valquez 1. 2. disp. 157. num. 40. Si autem pena spiritualis sit excommunicatio maior, & hæc sit ipso iure lata absque dubio lex, cui hæc pena est annexa obligat sub mortali & ita tradit Sanchez lib. 6. cap. 4. num. 49. Suarez lib. 4. de legibus, cap. 18. n. 4. & plures alii quos refert, & sequitur Bonacina disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 4. n. 30. Salas de leg. disp. 01. lect. 9.

3 Quod si excommunicatio ferenda est tunc plures Doctores affirmant esse signum sufficiens transgressionis sub mortali. Et quidem si excommunicatio sine vlla alia monitione & contumacia posset inferri censio certissimum. At quia existimo, cum censura annexa non est peccato indigere semper alia monitione, vt imponatur, ea de causa non est sufficiens signum mortalis obligationis, sic Petrus de Soto lect. 3. de excommunicat. §. primo dicitur. Valenz. 1. 2. disp. 7. quæst. 5. punct. 6. q. 3. in signo 4. Diedo lib. 2. de libertate Christiana, cap. 1. paulo ante 3. propositionem consentit ex parte Suar. lib. 4. c. 18. n. 18. sine vbi dixit ex vi talis censura, non satis colligi legem obligare per se sub mortali inquam regulariter loquendo, & nisi lex ipsa declaret, vt excommunicatio feratur, nulla alia monitione præmissa Thomas Sanchez supra n. 50. etiam existimet excommunicationem ferendam esse signum sufficiens mortalis obligationis: temperat tamen n. 51. & seq. nisi ad terrorem excommunicatio apponatur, & non animo statim illam sine vlla monitione inferendi; & ita passim fieri à iudicibus Ecclesiasticis credit; & generaliter quotiescumque ex consuetudine, vel ex vltima monitione requiritur, non est (inquit) sufficiens signum mortalis obligationis: consentit Casto lib. 1. de lege pen. c. 4. docum. 4. Vale. disp. 158. c. 5. n. 45. Henriquez lib. 1. de excomm. cap. 17. n. 2.

Dices posita monitione noua imponitur censura ob factum præteritum. Ergo factum ipsum peccatum erat mortale.

Respondeo non imponi præcisè ob factum præteritum, sed ob illud noua resistentia & contumacia vestitum. Nam, vt optime dicitur Valquez, Suarez & Sanchez supra, bene potest fieri mortale factum illud post monitionem Prælati, quod, tamen antea non erat, quia resistere monitioni nouæ cedit in maiorem contemptum non solum legis, sed etiam superioris ratione cuius causa talis excommunicationis completur.

4 Idem quod dictum est de excommunicatione dicendum est de suspensione, & interdicto, & irregularitate penali, quæ si absolute proferantur, & sine censura, ipso facto semper sunt signum mortalis obligationis, (scus vero si ferendæ sint; sic Valquez cap. 5. n. 48. & seq. Thom. Sanchez n. 54. Suarez n. 14. Azor tom. 1. instit. moralium, c. 6. quæst. 5. Bonacina disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 4. n. 30. Salas disp. 1. c. lect. 9. num. 54. & 62. esto contra teneat Nauar. c. 23. n. 53. eo quod suspensio, interdictum & irregularitas imponantur aliquando absque culpa. Temperat autem Sanchez, & Suar. supra nisi suspensio, & interdictum leuia essent, vt alicuius specialis actus ad breue tempus: tunc enim non esset iudicium obligationis grauis, sicut dictum est de excommunicatione minori.

5 Pena item depositionis, degradationis, & priuationis Ecclesiasticæ sepulture indicium sunt obligationis mortalis, quia sunt penæ grauissimæ nunquam impositæ nisi ob grauem culpam: sic alius relatis Sanchez n. 55. & 56. aduertit cum Valquez disp. 159. cap. 3. n. 22. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 6. quæst. 5. supradicta procedere, etiam si verba legis indifferencia sint, vt statimus, ordinamus, &c. quia magnitudo penæ spiritualis indicat sufficenter essetia legislator voluntatem obligandi ad actum immediate ordinatum, & cui penam imponit.

6 Maior autem difficultas est de legibus, siue civilibus siue canonicis imponentibus temporales penas: inquam, hæc leges obligent in conscientia transgressores ad actum immediate præceptum.

In qua re est prima sententia affirmans nullam legem, siue civilem siue canonicam, penam temporalem imponentem transgressoribus, obligare ad culpam mortalem nisi id expresse sit legislator quantumcumque per verba præcepti procedat: sic Nauar. late probans sum. c. 23. à n. 55. & lib. 1. consil. 3. de consil. & adducit pro se Imol. & Felin. plures adducit Couar. regul. peccatum p. 2. §. 5. num. 2. docet Menchaca 1. controu. cap. 29. vbi dicit Principes secularis nec velle; nec posse

fuis legibus, & præceptis obligare ad penam æternam, seu in conscientia reputant: valde probabile Valent. 1. 2. disp. 7. q. 5. p. 6. post. signum, a. vers. alterum signum. & Salon. 2. 2. quæst. 7. 7. art. 1. controu. 7. 5. hæc opinio. Limitat tamen, dummodo pena grauis non sit Azor. tom. 1. in lib. 5. c. 6. q. 4. vers. que vero, ubi dicit non esse condemnandum, qui hanc sententiam amplecteretur. Item Bonacina disp. 1. 7. 2. puncti. 7. §. 2. num. 3. reputat, probabilem: siquidem contrariam solum dicit probabiliorem, & §. 1. num. 2. affirmat legem venationem, piscationem sine iudicio proximi, delationem quarundam venium, aut armorum nocturno tempore, ad culpam mortalem non obligare: censent Salas disp. 10. sect. 5. numer. 4. 7. & disp. 3. sect. 1. num. 17. & seq. ubi etiam extendit ex aliorum doctrina ad venantes in nemoribus, vel fluminibus alienæ communitatis, vel priuatorum dominorum, etiam si prohibeatur venatio & piscatio certis temporibus, vel instrumentis, quia multi pisces capiuntur, solum esse obligationem sub venali: & idem est de lege, qua prohibentur metes ad ciuitate extrahi, vel illuc importari: & de lege regitandi, & alia similia. Mouentur variis rationibus. Primo quia subditis non sunt vincula & onera imponenda sine manifesta necessitate: atqui non videtur necessarium illos obligare ad culpam, si transgrediantur legem, cui pena temporalis est imposita: si sufficienter enim timore solius penæ arcetur à transgressione. Ergo Secundo ignorare non potest legislator huius opinionis probabilitatem. Ergo si illa non obstat, non exprimat se velle ad culpam obligare transgressores, censetur censent illos deobligatos esse, ergo de facto deobligantur. Tertio consuetudo est optima legum interpres, sed Nauar. testatur consuetudinem esse receptam has leges non obligare ad culpam, sed ad penam. Ergo Quarto negare non possumus legislatorum posse penam æternam & temporariam imponere, temporalem directè æternam indirectè, imponendo, inquam obligationem in conscientia ad actum immediate ordinatum, sed cum legem penalem statuit, solum penam temporalem exprimit nihil curans de obligatione conscientie. Ergo obligatio in conscientia censetur excludi ex cap. vno, de præsumptionib. ubi qui vno exprimit, & aliud tacet censetur excludere quod tacet. Quinto generales legumlatores nihil curant de obligatione conscientie, & æterna pena, quia illam non cognouerunt: sed eodem modo Principes, Christiani has leges politicas pronuntiant, Ecclesiastici verò cum possent penas spirituales apponere, & non apponant, nisi temporales, eadem via videntur procedere. Ergo nullæ leges obligant in conscientia. Tandem quia in dubio obligationis, & penatum mitior interpretatio faciendâ est.

7. Secunda Sententia affirmat omnes leges penales, siue Ecclesiasticas, siue ciuiles obligare subditos ad culpam, & ad penam ita Syluest. verbo gabella, 3. quæst. 8. §. 2. 2. & verbo inobediencia sine, & ibi Armilla num. 2. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 6. quæst. 4. Tolet. de peccat. mort. cap. 20. numer. 4. Carbon. de legib. lib. 8. disp. 5. propositi. 6. Ioann. Medina Cod. de restit. quæst. 36. art. 6. Aragon. 2. 2. quæst. 62. art. 2. conclus. 1. ad 2. Salon quæst. 7. 7. art. 1. controuers. 7. 7. paulo ante 1. conclus. Mantuel. Rodriquez. tom. 1. quæst. regul. quæst. 6. art. 7. & plures alii, quos referunt, & sequuntur Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 4. numer. 59. Couart. regul. peccatum 2. part. §. 5. num. 2. & 3. Salas disp. 10. sect. 5. & disp. 15. sect. 1. Bonacina disp. 1. de legibus, quæst. puncti. 7. §. 2. numer. 2. Fundamentum huius sententiæ est, quia de natura legis, & præcepti est inducere obligationem. Ergo si leges penales, sunt verè leges, veram in conscientia obligationem inducunt Ergo non solum obligant ad penam, sed ad culpam. Secundo omnis pena est propter culpam, vt dixit D. Augustin. 1. 1. 1. 1. cap. 9. ibi, Omnis pena si iusta est, peccati pena est, & supplicium nominatur D. Thomas 2. 2. quæst. 108. art. 4. & colligitur ex cap. 2. de constitut. in 6. & cap. non afferamus 24. quæst. 1. Sed leges penales penam imponunt transgressoribus illarum, Ergo supponunt culpam. Et confirmo: transgrediens legem penalem inuincibili ignorantia non est dignus pena: sed hoc nulla alia ratione, nisi quia non committit culpam. Ergo necessitas culpa debet precedere. vt ei pena à lege taxata imponi iuste possit. Tertio legislator impositione penæ intendit actum, cui penam annexit prohibere. Pena enim imponitur ne actus aliquis fiat Sed facere contra prohibitionem tacitam, vel expresse insuperioris, est culpa. Ergo Quarto leges penales non procedunt vniformiter sed aliquando leues, aliquando graues penas transgressoribus imponunt, Ergo signum est leuiorem, vel grauiorem culpam agnoscere.

8. In hæc grauissima questione censo distinctione vtendum esse. Dupliciter enim lex ferri potest. Primo per verba præceptiua, seu præcepto æquipollentia. Secundo per verba indifferentia. Si lex siue Ecclesiastica, siue ciuilis sit, feratur verbis præceptiuis existimo probabilitus semper obligare ad culpam mortalem, si materia grauis sit, & legislator aliud non expresse sit Sanchez lib. 5. de legibus, cap. 3. numer. 6. & testatur esse communem Theologorum, & camque late probat

Castro lib. 1. de lege penali, cap. 8. Driedo lib. 2. de libertate Christiana, cap. 1. post secundam propositionem, & lib. 3. cap. 3. ad 5. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 4. num. 6. Valquez disp. 1. 9. cap. 2. & 3. Bonacina disp. 1. quæst. 1. puncti. 7. §. 4. numer. 3. 4. & 6. Couart. regul. peccatum 2. p. §. 5. num. 4. & a fortiori eam defendunt omnes Doctores pro letanda sententia relati. Ratio est quia lex vtens verbis præceptiuis, sufficienter indicat voluntatem legislatoris esse imponere præceptum: sed positio præcepto necessario resultat obligatio in conscientia obediendi illi pro materia grauitate. Ergo. Confirmo primo, si lex illa absque comminatione penæ promulgaretur verbis præceptiuis, obligaret in conscientia transgressores, quia materia capax est obligationis vt suppono, & verba obligationem significant: sed ex appositione penæ dimitti non potest hæc obligatio, imo potius augetur, quia appositio penæ contraria non est obligationi in conscientia, neque indicat intentionem legislatoris esse tollere talem obligationem, imo potius declarat velle illam appositione penæ manere & roborare. Ergo. Confirmo secundo assertionem duplici exemplo relato à Suarez lib. 6. cap. 3. num. 9. & 10. lege Ecclesiastica imperator clericis pensionariis sub obligatione restituendi fructus, recitare quotidie officium paruum Beate Virginis, sed appositio huius penæ non impedit conscientiam obligationem, neque excusat culpam commissam omitendo officium. Ergo. Item ideo lex taxans pretia rerum, obligat in conscientia ad sui obseruationem quantumcumque penam transgressoribus imponat quia constituit medium in materia iustitie, sed qualiter lex, eo ipso, quo lex sit, & regula præceptiua alicuius actus virtutis, constituit medium in illa materia Ergo obligat in conscientia ad sui obseruationem.

9. Dixi in conclusione, nisi legislator suam intentionem declarauerit se nolle ad culpam obligare: tunc enim estis verbis præceptiuis vtatur præceptum non continentur, quia præceptum, & lex proprie esse non potest sine obligatione vt dictum est expresse notat Sanchez lib. 6. cap. 4. numer. 70. de præceptis impositis per superiorem religiosorum, quæ ad culpam non obligant, nisi eis addatur in virtute obedientie, vel Spiritus sancti, vel sub excommunicatione, vel sub interminatione maledictionis æternæ, & similia.

10. Quod si lex penalis feratur per verba indifferentia, quæ præceptum sufficienter non indicant. Existimo probabilitus, nullam inde in conscientia obligationem oriri, nisi consuetudine & vsu declaratus sit in aliqua lege animus legislatoris intendens ad culpam obligare tunc expresse Sanchez supra Bonacina num. 4. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 6. quæst. 5. Suarez lib. 5. cap. 4. num. 9. qui dicit in hoc casu Nauarri sententiam esse intelligendam. Ratio præcipua est, quia legis auctor potuit sufficienter intentionem suam obligandi declarare. Ergo cum illam non declarauerit, præsumere debemus non habere talem intentionem, quia hæc præsumptio benignior est, & subditis fauorabilior. Aduerto tamen tunc legem proprie non ferri in actum immediatum sed in penam, cum enim lex dixit: Ordinamus, ne aliquis è regno pecunias, vestes, & arma extrahat, sub illorum amissione: extractio armorum, pecuniarum, vestrum non prohibetur rigoroso præcepto, & leges sed transgressores illius subduntur penæ infligendæ, taliter, quod vi, & armis restitere ei non possunt.

Notatur appositio nisi consuetudine, & vsu declaratus sit animus legislatoris intendens ad culpam obligare, nam concludendo est optima legum interpres 1. minimo. ff. de legibus, & c. cum dilectus, de consuetudine, ita tradit expresse Suar. nu. 8. Nauarri, c. 23. num. 58. sine.

11. Alii præter consuetudinem, & vsum affirmant ex grauitate penæ sumi sufficiens indicium obligationis mortalis, dicunt enim: si lex penam mortis, mutilationis, exilii perpetui, flagellationis, infamie, carceris diuturni, & similia infert, obligat sub mortali, quia hæc penæ iuste debent esse sed esse non possunt iuste nisi ob culpam grauem imponantur. Ergo. Et de pena mortis docet Couartuias regul. peccatum 2. part. §. 5. num. 23. Azor. lib. 5. c. 6. quæst. 5. Tolet. Summ. de peccat. mortali, cap. 20. num. 4. Driedo lib. 2. de libertate Christiana, cap. 1. post 2. propositi. Aragon. 2. 2. quæst. 62. art. 3. conclus. 7. Bonacina disp. 1. q. 1. puncti. 7. §. 4. n. 26. & 27. Thom. Sancti. plures alios referens lib. 6. cap. 4. numer. 64. Suarez lib. 5. cap. 4. numer. 11.

De pena mutilationis alicuius membri idem tradunt fere omnes Doctores, quia mutilatio est mors inchoata, & pena grauissima. De pena grauis infamie, flagellationis, triræmis, exilii perpetui, carceris ita diuturni, vt repararetur perpetuus amissionis honorum, vel magnæ illius partis, non ita constat apud Doctores, an sit indicium sufficiens obligationis sub mortali. Communior tamen sententia affirmat, quia sunt penæ grauissimæ, quas pro culpa leui imponi iniquum. Suarez ita docet alios referens Sanchez, Azor, Bonacina. Suar. Castro supra. Quod si obicitur alicuius carceris causa fugiendi, hæc penæ imponuntur, & tamen, vt est communior sententia

sententia culpam non committunt. Ergo non est signum sufficiens culpae moralis impositio harum poenarum? Respondet Suarez supra lib. 5. cap. 4. num. 1. talem poenam vel non esse nimis grauem respectu talis personae, vel à republica iudicatum esse proportionatam ad coactionem necessariam pro tali prohibitione, & quasi ad defensionem sui iuris, & publicae iustitiae. Sanchez lib. 6. cap. 4. n. 64. respondet effectoribus carceris hanc poenam imponi, quia lex praesumit culpam, aut quia sequitur opinionem affirmantem culpam committi in tali effractione.

12 Verum, (si dicere licet quod sentio) probabilius existimo nullam poenam temporalem iudicium esse sufficiens obligationis mortalis ad actum, cui poena imponitur, docet, & late probat Nauarr. illo r. 23. n. 57. segg. Reginald. lib. 15. n. 50. Probo, quia potest optime reipublica transgressionis suarum legum obligare ad poenam sustinendam, quin obliget sub culpa mortali in actu immediatè ordinato. Quid enim veterem legem hoc modo statueret? Nam ad impositionem poenae quantumvis grauius dicitur sufficere, si culpa politica, & ciuilis committatur, etiam non committatur mortalis, custodibus enim murtorum in bello lex imponi potest de vigilia sub poena vitae, quin ad vigilandum sub mortis obligentur: neque tunc priuatio vitae est proprie poena, sed damnum. Exemplum item de poena imposita effractionibus carceris hanc partem videtur omnino confirmare: nam vel illa poena flagellationis, & infamiae ob carceris effractionem imponitur à republica in defensionem sui iuris, & ne scilicet malefactores audent illud violare, quia in violatione culpa mortalis committatur, sed eadem ratione dici potest de qualibet poena imposita: imponi inquam à republica in defensionem sui iuris, ne scilicet subditi audent illud violare. Ergo impositio poenae non arguit culpam. Si dicat cum Sanchez praesumi à republica culpam, sustineri non potest, quia aduersus communiorum sententiam lex praesumere non potest, iniqua enim esset talis praesumptio. Neque itare potest legem praesumere culpam, & propter culpam, quam sentit committi in effractione carceris, imponere poenam flagellationis, & infamiae, & esse communiorum sententiam, & videretur, nullam culpam mortalem ibi committi. Quocirca Valquez disp. 159. cap. 3. de nulla alia poena, nisi de poena mortis, & membri mutilatione existimat esse iudicium sufficiens obligationis sub mortali. Sed, vt bene dicit Nauarr. nihil speciale reperitur in poena mortis, & mutilationis, ratione cuius culpam mortalem debeat necessario praesupponere, & ita de omnibus est vniuersimur dicendum: consentit Philiarc. de officio Sacerdotis tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 1. dicto 4.

13 Sed obiecit, exponere se aliquem periculo mortis, vel mutilationis, est peccatum: sed tali periculo exponitur, qui transgreditur legem, cui est imposita haec poena. Ergo peccat.

Repondeo primò cum Nauarr. negando transgressorem huius legis exponere se periculo mortis, quia potest ea circumspeditione transgredi legem, vt poenam euitet. Secundò dico subire periculum mortis aliquando licere, si ex rationabili causa, fiat, potest enim aliquis ob aliquam grauem necessitatem sui, vel alterius transgredi legem prohibentem sub poena mortis, ne cibaria extrahantur à ciuitate, & tunc non peccare, etiam si periculo mortis se exponat. Adde terò horum obligationem ex lege naturali provenire, quia tenemur fugere periculum mortis non ex vi legis positivae.

Ex his inferet aliquis vestigia iusta non deberi in conscientia, si lex poenam imponat non solventibus: sic Nauarr. cap. 13. n. 60. & Angelus verbo pedagogum, num. 6. & quidem si verbis praecipuis immediatè directis ad solutionem vestigialium lex feratur, nullo modo sustinenda est talis sententia, quia est praecipuum de re iusta, & debita Regi: si verò non per verba praecipuis, sed indifferentia statuatur, adhuc existimo esse solvenda non in vi legis humanae, sed in vi legis naturalis determinatae illa ordinatione, & decreto Principis, iure naturali tenentur subditi ad Principis sustentationem concurrere: quo autem modo debeat concurrere: assignat Principis suo decreto. Facta ergo tali assignatione debent illa vestigia Principi, quia sunt eius, sicuti vendenti merces debent pretium à lege taxatum, neque ipse potest extorquere minus, neque illi minus reddi, quin peccetur contra iustitiam, & aduersus legem naturalem prohibentem alienum accipere: & ita tenet Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 4. num. 101. Valq. disp. 159. c. 2. n. 15. Syluest. verbo gabulla, 3. q. 8. n. 22. Castro lib. 1. de lege pan. c. 8.

14 Restat satis certe argumentis pro prima & secunda sententia, quatenus nostrae alicuius.

Ad primum primae sententiae concedo non esse vincula subditis imponenda absque necessitate: at cum legislator verbis praecipuis vitium iudicavit necessitè duplici vinculo subditum ad obseruationem legis alligare, & timore poenae, & horrore carceris.

Ad secundum dico ex cognitione probabilitatis vitii quae opinionis non inferri subditos debent obligatos, vel obligatos esse absolute, sed solum sub probabilitate, quam probabilitatem

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I.

non intendit tollere legislator, sed illam immutatam relinquere.

Ad tertium fateor consuetudinem esse optimam legum interpretem: nego tamen esse talem consuetudinem in legibus latis verbo praecipuis: siquidem eam Doctores, non agnoscunt.

Ad quartum & quintum respondeo non esse necessariam in legislatore humano cognitionem poenae aeternae: quia non imponitur immediatè ab homine, sed à Deo propter transgressionem humani praecipui, & diuini in illo inclusi, vt in superiori puncto dictum est.

Ad vltimum concedo mihiorem interpretationem in dubio faciendam esse: at cum lex praecipuis verbis procedat, excludit dubium obligationis, & illam pro certo constituit.

Argumenta verò secundae sententiae nostram primam conclusionem probant: at quatenus videntur aduersari secundae, illis satisfaciendum est.

Ad primum dico de ratione legis esse obligationem in conscientia, vel actum immediatè ordinatum, vel ad sustinendam poenam propter eius transgressionem, si imponatur, vt dictum est.

Ad secundum dico poenam regulariter imponi propter culpam mortalem: at aliquando propter solam ciuilem, & politicam, saepe enim conuenit reipublice cogere subditos solo timore poenae, vt contingit in religiosis, in quibus virtute obedientiae obligatur subditi acceptandi, seu non repugnandi poenae à superioribus imponendae ob transgressiones regularum.

Ad tertium nego esse expressam, vel tacitam probabilitatem, cum per verba communia, & indifferentia lex imponitur.

Ad quartum, diuersitatem poenarum provenire ex diuersitate culpae moralis: sufficit, si adiu diuersa culpa, ciuilis, & politica.

PUNCTVM XVI.

An lex humana obliget cum periculo cuiuscunque grauis nocuenti.

- 1 Cum periculo vitae lex humana obligare potest.
2 Declaratur, quando haec potestas principi data sit.
3 Respondetur quaestioni sub distinctione, quando periculum non est annexum actioni praecipuae.

CERTUM est legem humanam te obligare posse ad actum, cui est periculum vitae annexum: potes enim tempore potest obligari assistere infirmis, & bello ingruente custodire ciuitatem, quia bonum commune praefertendum est particulari. Quocirca princeps, penes quem est potestas regendi populum potest te exponere periculo mortis, ne tota gens pereat, & taliter expositus teneris subire illud periculum, quia si ab illo periculo, & praecipuo te exulare posses, eo quod non videris esse magis obligatus, quam quilibet alius, non possit Princeps efficaciter provide bono communi. Vt ergo huic bono provideat, obligaris obedire cum periculo vitae facta assignatione. Nam esto ante assignationem, & praecipuum non esses obligatus specialiter, post assignationem obligaris, sine dubio, & ita tenent alios referens Couarr. in cap. alma, 1. part. § 3. n. 9. Soto lib. 1. de iustit. q. 6. art. 4. in fine. Suarez, lib. 3. de legibus, c. 30. n. 4. & est communis.

Aduertendum tamen est hanc potestatem non posse legislatorem exercere, nisi cum bonam commune vrgentiaque non potest legislator obligare subditos ad actum grauius periculolum, nisi id necessarium sit bono communi, quia reipublica non est domina vitae suorum subditorum, sed gubernatrix: & iniqua esset gubernatio, si vitam priuatorum periculo exponeret, absque necessitate boni communis.

Dices saepe ad conseruandam alterius vitam, est necessarium alterum se periculo exponere. Ergo tunc poterit reipublica te obligare, vt tali periculo exponaris: praecipue si tua vita non sit ita reipublice necessaria. Exemplum est in humano corpore, vbi membra vnius principalis periculo exponitur ob conseruationem principalioris.

Respondeo concedendo totum casu, quo illius vita esset reipublice maximè necessaria, tua verò minimè: neque hoc est exponere tuam vitam ob alterius vitae conseruationem, sed conseruationem boni communis: quia scilicet alterius vita bono communi est necessaria, tua verò non. Aduerto tamen non ob quamcumque conuenientiam posse reipublicam te periculo vitae exponere: est enim haec obligatio summe ardua, & difficilis, & ideo non facile imponenda, sed solum ob extremam vel grauem boni communis necessitatem. Tu verò esto obligatus non sis exponere vitam ob alterius vitae conseruationem: poteris tamen id praestare, quia est opus magnae charitatis, cedere proprio commodo temporali, vt alterius damnum vitetur: sic Suarez, lib. 3. de legibus, c. 30. n. 10.

DE RE PUN...
ASTRO...
JALAY...
TOM...
LIB...
EL...

